JACOBI
Cardinalis Papienſis
EPISTOLA
A D
FRANCISCUM
PICCOLOMINEUM
Cardinalem Senenſem

Quà Cardinales admonet, ut dignum Pontificem Eccleſiæ Catholicæ præficiant.







Ex Vitis S.R.E. Cardinalium per Ludovicum Donium de Attichy Episcopum Æduen. Tom.II.



IACOBUS Amanatus Cardinalis Papiensis dictus, Lucà Hetruriæ Civitate ortus Romam se contulit sedente Nicolao V. Pontifice Maximo, deditque se primùm in Familiam Joannis S. Angeli, & Dominici Capranicæ Firmani nuncupati S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, huicque à secretis fuit. Hoc Patrono Callisto Papæ III. innotuit, à quo Secretarii munere honestatus, Diplomatum quoque Apostolicorum, probatà ejus industrià, fide, ac styli nitore, & elegantià, Scriptor effectus est. Quo in officio, ac dignitate illum Pius II., qui Callisto successit, nec postulantem, nec opinantem confirmavit, & secundo sui Pontificatus anno Ecclesiæ Papiensi præfecit, atque anno 1461. Cardinalem creavit Tituli S. Chrysogoni. Ita illum dilexit Pius, tam propter ejus ingenium, & bonarum literarum peritiam, ac dexteritatem ad quæque obeunda, quam propter manuum puritatem, quas toto vitæ suæ tempore in maximà corruptelarum opportunitate servavit immaculatas, ut in Picco-

lomineam insereret, & adoptaret Familiam; ejusque cognomine, ac insignibus donaret. Pio sedente in Piceni Provinciam se contulit ad exigendas pecunias pro bello sacro necessarias. A Xysto IV. Papà Legatus in Umbriam, & Perusium, & adjacentes Provincias mittitur, quas prudentissimè, & integerrimè administravit. Lucensem Ecclesiam ei Xystus regendam commisit, quo tempore Tusculani Episcopatus Titulum obtinuit. Anno 1479. cum ad Lacum VVlsinum æstus vitandi gratià se contulisset, ad Cryptas Oppidi S. Laurentii III. Idus Septembris obiit. Corpus inde Xysti Pontificis decreto, ac Patrum in Urbem relatum, apud S. Augustinum conditum fuit. Quis, qualisque fuerit Jacobus Cardinalis Papiensis erga Ecclesiam, & pro Ecclesià ejusdem scripta testantur, ac præsertim Epistolæ à Jacobo Volaterrano collectæ, inter quas, quæ hic subjicitur in Editione Francosurtensi anni 1614. num. CLXXX.



Fran-

43



Francisco Cardinali Senensi.



ULTA ſæpe in hac noſtrà dignitate peccamus, ampliſſime Pater: ſed nulla meo judicio graviùs, quam cum indignum Principem plebi catholicæ damus. In nos etenim ipſos, & in omnem Eccleſiam impietatis opus, & perfidiæ exercemus, afficiendi divinis ſuppliciis, dignique gradu deſtitui, quem ad ſalutem acceptum, ad detrimenta convertimus. Pone ante oculos totius facti noſtri ſpeciem, & unà recordatione cuncta rememora. Videbis eò flagitii culpam aſcendere, ut meritò noſtrimet nobis ſit pœnitendum. Exit à Conclavi in omnem partem jam facta electio. Annuntiatur Fidelibus Paſtor habendus. Fit illico à Regibus, à Principibus, à Plebibus Dei tanti operis judicium. Non latent eos merita noſtra. Sciunt quid quiſque virtute, vel vitiis valeat. Sed ſi ex iis eſt Præſul aſſumptus, quem non probet publica vox, in rebus hujuſmodi rationi (ut plurimum) congruens, maledicitur illicò nobis, ingratum inacceptumque eſt miniſterium noſtrum, & vel non fuiſſe ad publicam ſalutem judicium, vel ad bene eligendum defuiſſe voluntatem, vel ex omni noſtro numero non inventum meliorem exiſtimant. Quibus hominum opinionibus quid noſtræ æſtimationi infeſtius? Etenim ſi tardi mente, cæcique ad diſceruendum putamur, illa ſtatim indignatio ſubit, eſſe nos in Eccleſià Chriſtianà inutiles, non dignos, qui præſideamus in ſpeculà, non idoneos qui miniſtremus aliis, quod ipſi nos ignoramus. Contemptui eſſe incipimus, ac ſub noſtris ornamentis ridendi. Quid enim in Eccleſia faciat, aut quid meliori honorem præripiat, qui diſcernere inter lepram, & lepram non poteſt? Qui non videt, quid fructuoſum infructuoſumue ſit? Aut duobus propoſitis ſpeciem boni habentibus, quid horum ſit

 opta-

optabilius ? Rectè illud Scripturæ nobis accommodant: *Quomodo nix æstate, & pluvia in messe: sic indecens est stulto gloria.* Quod si malæ voluntatis, id quod frequenter solet accidere, fuisse crimen existiment, nec passos nos aliter fieri quam factum est: illa quoque lamentatio surgit, proditam nostris fallaciis Sedem, pessundata iniquitate Christianorum omnium commoda. Exitiale autem malum huic, vel illi affectui deputant. Sunt qui ambitioni, quod assumi nos cupientes invideremus bonis, sunt qui odio, quod eum quæsierimus potissimùm, qui malo inimicos nostros afficeret. Sunt etiam qui avaritiæ, quod vendiderimus mercede pactà suffragia nostra, & sapientes quæ carnis, non quæ spiritus sunt, inclinaverimus in eum, non qui omnibus, sed qui nobis, non qui Ecclesiis, sed Domibus nostris benignus esse, atque utilis possit. Quà turpitudinis notà nihil, & nomini nostro infamius, & proximo excogitari nocentius potest. Etenim quodlibet horum homines credant, illud certè persuasum animis habent sine charitate nos esse, non amare Ecclesiam, salutem publicam summà improbitate projicere, Fidem, ac Religionem addictam precio habere, venalesque animas possidere. Videntes quoque nos populi duces, unde specimen boni reliquis esse oporteret, sic inquinari sordibus, facilè in hac carnis fragilitate facti nostri fiunt imitatores. Quodque licere nobis vident, Deum tractantibus: sibi quoque in sæculari vità prohiberi non volunt. Ita miserandum in modum cum illorum salute nostra quoque ruit auctoritas. Age vero si non imprudentiæ, non pravi consilii, sed necessitatis fuisse indignam electionem existiment, quod non sit melior inter fratres inventus, quod hoc dedecus est ejus Collegii, quod sacrosanctum in ecclesia dicimus, Regibus anteferendum putamus? An non contemnimur omnes? & indigni habemur ornamentis, quæ contulit dignitas? Certè ut anteimus honore, sic virtute putant nos oportere excellere. Id verò cum negligentià nostrà non accidit, illud continuò accidit, ut sine fructu sit omnis auctoritas.

Attende porro quam confertum malorum agmen Ducem sequatur inutilem. Non est Pontifici reverentia sua, non honor, qui tantæ potestati debetur. Mandatis quoque obedientia rara impenditur: omnia neglectui sunt propter Principem negligendum. Vexantur Ecclesiæ, impugnantur Episcopi. Sine æstimatione Clerici sunt. Surgunt contra Sedem damnosa consilia. Recusant parere ei, quem imperandi nescium putant. Quin, & ad ipsos Ecclesiasticos, non Sæculares tantùm, ea detrimenta perveniunt. Sunt Antistites per orbem multi ecclesiis magnis præpositi. Dominatus amplissimos possident, à summis Princi-

pibus

pibus genus nobilissimum ducunt. Sacerdotio pariter, & sanguine de se angusta non sapiunt; ii quoque subesse Principi Ecclesiæ dedignantur, quem principatu dignum non vident. Nostras Sacerdotiorum collationes reiiciunt. Valere suas in suis Diæcesibus volunt: cognoscentes causas, in quibus nulla eis est jurisdictio. Comminationes autem nostras tanquam inanes ventorum flatus pro nihilo habent. Ita fit, ut officiorum omnium in Ecclesiâ sit perturbatio. Id autem etsi perversè agant illi, Apostolici præcepti immemores, quo jubentur subditi esse dominis suis non tantum bonis, sed etiam discolis: nos tamen peccati hujus maximam occasionem improbitate nostrâ porrigimus. Etsi enim Pontificatus per se clarus, & magnus sit: non dubiè tamen obtinentis conditio in utramque partem ad reverendum, & contemnendum plurimùm præstat. Non tam enim Ministerium ipsum humana fragilitas, quam Ministrantem solet attendere. Adde quod in parabolâ à Domino Salvatore est dictum: Non posse arborem malam bonos fructus producere: nec de malo thesauro cordis bona proferri.

Quis etenim dubitat, (à summo ad imum singula percurramus) ex malo Pontifice assumi Cardinales non bonos? ex Cardinalibus non bonis, non bona administrari consilia? Ex iis vero opera omnia detrimentosa succedere? Dantur plebibus pastores inutiles. Hi rursus malos sacerdotes parochiis tribuunt. Eadem ratio de Religionibus est, quæ rectores suos à nobis accipiunt. Ita unius pastoris, ac principis morbo in omnem Ecclesiam manat contagium:

Sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci;
Uvaque conspectâ livorem ducit ab uvâ. Juvenal. Sat. II.

Nam quid ea commemorem, quæ in tantâ perturbatione necesse est evenire? De tollendis hæresibus curam non suscipi in oculis nostris sæpe nascentibus? de propagandâ fide nil cogitari? Tantùm quod ante pedes est, ac vix illud ipsum attendi? Sunt in nonnullis externis regionibus adhuc Sancti Evangelii semina non suffocata. Adolescere illa non esset difficile, si colerentur laboribus nostris. Neque enim minor speranda esset in restituendâ fide Omnipotentis Dei benignitas, quàm ab initio in instituendâ fuerit gratia. Sed cum is præest, quem dico, mercenarius magis quam pastor; non ponit manum ad fortia, non certos mittit qui descendant, & videant, non etiam reputat, quid in his spiritus possit. Vel avaritiâ, vel hebetudine mentis, vel etiam carnalium studio à culturâ Dominici agri avertitur. Quod autem dolendum est magis, hic inter nos, ubi stabilita

est

est fides, frequensque habetur Christi confessio, incendia discordiarum sinuntur augumenta suscipere, nunc hos, nunc illos exitialibus flammis apprehendere. De extinguendis cum rarus est sermo, tum vero operatio rarior. Satis ad quietem animi habetur, si illa longiùs posita intercapedine suà tutos nos præstant: non videntes miseri, quicquid ubicumque perit, animabus nostris perire: omnium autem unam esse querelam, otiosis Sacerdotibus filios Dei calamitosè confligere. Nam de subditis Romanæ Sedis nil dico, quos alterutro indigni Principis malo pati est necessarium, vel improbitate, vel negligentiâ. Quorum altero diripiendi aliis, & vexandi traduntur, altero diripit ipse, ac vexat, utrobique id paraus, ut facilè perturbatis temporibus Fidem illi nostram relinquentes, ad oppugnatores nostros irati sæpe concedant.

Tantorum vero incommodorum nos ipsi propter indigna ad Pontificatum suffragia causam præstamus, comparticipes omnium, atque correi subituri simul tremendum veri Dei judicium, atque simul luituri errati tanti miserabiles pænas, quas etiam vivi adhuc volente Deo sæpe expendimus. Hinc enim frequenter nostrorum sacerdotiorum direptiones, hinc denique illud accidit, vt pro semente messem colligentes, ab eodem illo, quem malè eligimus, accipiamur deteriùs; & cui imperare credidimus, quotidianis angoribus serviamus. Aut enim in odia incidimus, aut honestis exiliis ablegamur, aut vero etiam extremi omnium beneficio, & gratia sumus: quarum rerum exempla, & vidimus multa sæculis nostris, & plura Patrum memoriâ legimus, Propheticum illud taciti murmurantes. *Sicut fecimus, factum est nobis. Retributionem nostram convertit in capita nostra.* Ex his ergo planè videntes, quanta in nos ipsos, quanta in proximos nostros, quanta in universam Ecclesiam peccamus cum in eligendo non spiritui servimus, sed carni.

Si quando hæc venient tempora, singulari diligentiâ caveamus ne tam dira iniquitas requiratur de manibus nostris. Ne serviamus ulli cupiditati, ne hujus, vel illius gratiæ concedamus indigna: ne fallamur etiam dolis, qui tendi eo casu plurimi solent: ne denique frangamur metu, sicundè is nobis incutitur, præferenda omnibus rebus est conscientia nostra, & pluris habendus Deus, quam homo: pluris animæ salus, quam fallax ambientium gratia. In eo quoque conatus omnes, sensusque vertendi, ut Conclavi jam absoluto, testari Deo hominibusque possimus, fecisse nos, quod optimum duximus, nec pænitendum aliquid admisisse. Hoc mentis testimonium, pro magno semper Pontificatu sit nobis. Nulla porrò ambitionis nostræ inanis

nis suasio transversos nós agat, faciatque, ut vel imprudentèr in vetita connitamur, vel turbemur in aliis, quod assequi ipsi non possumus. Patres eos proponamus animis nostris, elevandosque sumamus, qui laudabile testimonium ubique possideant, quorum vita tantò sit aliis clarior, quantò aliis Dignitatibus est ipse Pontificatus illustrior: quibus cum summâ bonitate summâ doctrina, summumque ingenium sit, quos etiam provecta ætas, & continuata rerum experimenta in ministerio Sacerdotali probaverint, à quibus denique expectari merito possit non sæculi fastus, sed Christiana humilitas, non purpuratorum mollities, sed veterani militis durata laboribus patientia, non congregandi, sed dispensandi desiderium, non otium, sed negotium, non imperium, sed benedictio, non contentio, sed pax, non fastidium, sed charitas, non somnus, sed vigiliæ, non tepiditas ad opera Dei, sed fervor, non tractatio rerum inanium, sed pondus semper habentium, non postremò domus Dei neglectus, sed perpetuus zelus. Quos si in nostro ordine perfectos omni ex parte non est invenire, in alienis eos ipsos quæramus: si nec in his quoque, præstitá jam Deo diligentià nostrà, sumamus in hac mortalium imbecillitate, quem minùs abscedere à perfecto videmus.

Hoc vero nostrum examen adjuvare plurimum illa diligentia poterit, si cujusque, in quem inclinemus, privatam vitam, & domesticam disciplinam spectemus, ut bene suis convivat, ut pacem quietemque habeat, ut ministerium familiare, suum ordinem servet, ut vestiat, ut conversetur: ut religionem tota institutio sapiat. Quæ porro convivia, qui sumptus, quæ ornamenta domestica, qui divinus cultus, quod denique cubiculi sui sit testimonium. Specimen quoddam publicæ administrationis est norma domestica. Qui domui suæ præesse non scit (inquit Apostolus) quomodo Dei curam, & eius Ecclesiæ habebit? Si in assumptis nobis vitia ostenduntur, non illa facit assumptio, sed detegit. Quem esse domi animo semper cupido, semper irreligioso agnoscis, non speres alio tunc in principatu affectu futurum. Cuius etiam privatarum rerum incuriam, dissolutionemque, & confusa vides officia, hujus jam Principis facti administrationem non expectes dissimilem. Contrà qui bene institutæ domus, qui vitæ privatæ laudem est assecutus, spem quoque is bene administrandi Sacerdotii præbet. Ut vitia, sic virtutes quòcumque ascendimus, nobiscum ascendunt. Et quoniam judicia nostra nonnunquam falluntur, nec introspicere penitùs secreta hominum possunt, quorum quidem solus est Deus interpres, admiscenda sunt conatibus nostris divina adiumenta, humilianda est anima: amplior in hoc articulo suscipienda religio.

Pla-

Placandus pœnitentià Deus, rogandusque sacrificio assiduo, ut non secundùm merita nostra, nec secundùm peccatoris populi iniquitatem, sed secundùm suam misericordiam, Pastorem, & Principem det Sanctæ Ecclesiæ; eum videlicet, qui immutatà Zachariæ Prophetæ sententià, in terrà visitet derelicta, conquirat dispersa, sanet contrita, & quod constat enutriat: quique nec carnes pinguium comedat, nec ungulas eorum dissolvat, sed, quod Apostolus admonet, seipsum præbeat exemplum bonorum operum in doctrinà, integritate, gravitate; verbo sanè irreprehensibilem, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nil habens, malum de nobis dicere: qui demum toto ministerio suo ejusmodi sit, de quo populus Dei exultet. Nos gloriabundi in conspectu hominum incedamus: nec ad malorum operum suorum querelas confundi animis, oculosque in terram ex conscientià deiicere habeamus.

